

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0368

0366

0372

0362

0377

0357

0417

0317

0467

0267

0867

355

Dicebatur autem civitas litterarum eo, quod primo litterae Chananaeorum in ea fuerunt inventae, vel quia antiqui gigantes aliquod studium litterarum ibi habebant, vel quia, ut magister in Spec. Histor. dicit, cives ejus scriptores erant, vel quia, ut Hebraei dicunt, Othaniel, qui eam cepit, aliqua legis capitula, quae obfuscata erant et deleta, tempore luctus Moysis ibidem reparavit. De hac civitate dicit Jeronymus de distantis locorum: Dabir in tribu Juda, quae vocatur civitas litterarum, hanc praeoccupavit Othaniel, frater Caleph, interfectis ex ea gigantibus, et pro mercede Achsam, filiam Caleph, uxorem accepit. Fuit autem et ipsa Dabir sacerdotibus separata. Ibi videtur adhuc terra, quae inferius et superius aquis irrigatur, quam dedit Caleph Achsae suae, sibi conquerenti, quod terram arentem accepisset, ut habetur Judicum 1. cap.

Uterius a Kariacepher sive a Dabir recessimus et per vallem Ebron descendimus, quae indubie fertilissima esset, si cultivaretur, et ab utraque parte antiquorum hortorum macerias adhuc retinet, et in arbustis vidimus diversas feras comestibiles et aves perdices et phasantos. Cumque per viam satis longam descendissemus, ad locum venimus, ubi ab aquilone alia vallis contra occidentem tendit, quod est vallis Neel Escol, id est, vallis botri, fertilissima, de qua exploratores missi a Moyse ad considerandum terram tulerunt botrum magnum, quem duo viri vecte portabant, et malognata collegerunt et alios fructus et populo Israel trans Jordanem in desertum portaverunt, prout habetur Num. 13. Hac valle dimissa per vallem Ebron descensum continuavimus via illa, per quam Joseph missus a Jacob patre suo de valle Ebron in Sichem ad quaerendum fratres suos, ut habetur Genes. 37. Eadem etiam via descenderunt fratres Joseph in Aegyptum ad emendum frumenta, Genes. 42. In silvis ejusdem vallis, quia plenae sunt silvestribus feris, creditur Esau venationi vacasse, quando eum misit Isaac pater suus, ut offerret de venatione et pulmentum faceret, quatenus benedictionem paternam accipere mereretur, Genes. 27. Multis ergo horis continue descendimus ad latus dextrum vallis, quia profunda erat et arcta et in imo aspera, petrosa

23*

Ende

Anfang